

nistrum Hospitalis pauperum de Modoëtia, fundati ab eo in dicta Terra, Divina Misericordia fecerit: quod tamen hæc legentibus ut prodesse valeat, exopto, quatenus qui animam suam salvare desiderat, avertere faciem ab ullo paupere non præsumat.

Beatus Girardus magnæ abstinentiæ, humilitatis, & misericordiæ vir, de Terra Modoëtiæ ex illis de Tinctoribus fuit, qui defuncto patre, eum puer esset, nam semper hospitalitatis studio intentus erat, jejuniis, orationibus, & elemosynis vacabat. Qui postquam fuit ætate maturus, Hospitale in Modoëtia juxta flumen Lambri de bonis paternis fundavit. De custodia, regimine, cura, de electione ministrorum, & de receptione converforum, & de visitatione infirmorum post suum decessum fienda in dicto suo Hospitali, per publicum Instrumentum, sicut hodie patet, cum Archipresbytero, Canonis, & Capitulo Ecclesiæ Sancti Johannis, & cum Communi de Modoëtia, valde bene ordinavit. Maxime devotus Sancti Johannis Baptista fuit. Tantam compassionem, misericordiam, & humilitatem in se habebat, quod in quacunque parte Terræ de Modoëtia, ubi noverat pauperes infirmos jacere, ibat, & in ulnis suis solus, & aliquando cum focio, eos ad Hospitale suum portabat, & super mundos lectos illos ponebat. Leprosos manu sua tergebat; omnes infirmos, quos hospitabat, eos cum osculo pacis recipiebat, illosque in omni hora debita personaliter ministrabat; & cujuslibet servitium necessitatis sine indignatione eis faciebat; peccatis egenis elemosynam numquam negabat. Eoque tempore, quo alimentorum inopia Lombardiam graviter affligebat, vir Dei diversis afflictis indigentibus Hospitalis sua cuncta tribuerat, & pæne nihil in cellario, nisi forte modicum grani, & in vegete stium vini remanserat. Tunc multi egeni ad se venerunt opem postulantes. Vir autem Domini, qui cuncta decreverat in terra tribuere, ut in cælo omnia reservaret, hoc ipsum pariter, quod in Hospitali remanserat, petentibus jussit dari. Converteris verò, qui Canevarius erat, audivit quidem jubentis verba, sed implere distulit, dicens turbato animo increpando: *In cellario modicum grani, in vegete stium vini, nec plus in Hospitali est: quomodo debent vivere Ministri, & Converteri?* Eadem horâ cum humilitate vir Dei inquit: *Frater modicæ Fidei noli esse; Evangelium dixit: qui caritate Dei unum dabit, centuplum recipiet: Christus non derelinquit bona facientes, & in se spem habentes. Vade igitur, totum id, quod potes, pauperibus Christi ministra.* Tunc vir Christi tam præ fratris suiurbatione, quam egenorum compassionem cum lachrymis in oratione se dedit; & Canevarius causâ distribuendi quod remanserat, ivit, & reperit granarium ita bladi plenum, quod ostium non poterat aperiri, & vegetem, quæ tenebat quatuor Carra, plenam boni vini. Qui statim Ministro suo hoc retulit cum lachrymis, veniam ei petens; qui eum, & alios Converteres admonuit, quatenus nemini miraculum dicerent, nec in fide deficerent, sed misericordiam semper conquirentur.

Quadam verò die vir Dei in mane tempestivè dum de Beati Johannis devoti sui Oratorio, quod circa duo ictus balistæ, mediante flumine Lambri, longè ab Hospitali suo situm est, reverteretur, in quo causâ audiendi matutinales orationes omni die ibat; in quo etiam Oratorio Divino auxilio multoties januis clausis intrabat,

Tom. XII.

A prout à custodibus illius Oratorii notum fuit, flumen Lambri per pluviam, sicut hodie facit, subito creverat, & pontem ruinaverat. Cum suum Hospitale sit, mediante stricta strata, in ripa dicti fluminis situm, timuit ne ipsa aqua domui damnum, & maxime ad infirmos, intrando faceret. Subito divinitus inspiratus sine alio cogitatu, nisi cum magno fervore liberandi infirmos à periculo aquæ, Cappam suam projecit in ipsius magni & currentis fluminis aquam, & cum pedibus super ivit; semper recommendando infirmos suos Deo & Sancto Johanni, ne de aqua damnum reciperent. Sic ipsum Lambrium transivit, quod nec ipsum, nec Cappam balneavit; & in nomine Christi, & Sancti Johannis devoti sui, ipso flumine intrante versùs cameras infirmorum, percepit, quod per medium cubitum ad ipsas cameras stetit per plures horas, & ad limina ostiorum ipsarum camerarum, & in eis cameris non intravit. O quantum fervidum amorem, & sollicitam curam habebat vir Sanctus iste ad pauperes Christi, sicut Beatus Petrus Apostolus sine aliquo cogitatu, nisi cum fervore essendi ad Christum, ambulavit super mare, sic venerabilis vir iste sine alio cogitatu, nisi cum magno fervore ad pauperes infirmos, qui representant personam Christi, ut eos à periculo aquæ liberaret, se posuit super Cappam suam in flumine, & meruit aquam transire miraculosè.

Vir venerabilis iste Beatus Girardus pro suis sanctis orationibus de multis languoribus multos sanabat bonæ fidei pauperes infirmos. Temporalem namque honorem fugiens egit, ut ab his, à quibus vitus in tanta virtute fuerat, nunquam in hac vita in vanum sui laudem aspicerent. Jam dum in bonis operibus vitam gerens, senex plenus dierum de hac luce transiens in Christo quievit Anno Domini MCCVII. die VI. Junii. Eodem verò dicto anno, quo de hac vita erat exiturus quibusdam bonis Converteris secum conversantibus multa prædixit, & sanctissimi sui obitus denuntiavit diem. Sed Christus

D servi sui bona opera, qui ea bona, quæ fecerat in vita, despiciendo vanitatem Mundi occultaverat, voluit post ejus mortem manifestare, quia XL. die post ejus obitum in quodam vico, qui locus de Ulzate dicitur, longè à Modoëtia per XX. milliaria in Episcopatu Cumano situm, cujus loci habitatores erant CCC. & plures masculi, & feminae, perculsi omnes fuerunt de una infirmitate quæ syncoposis vocatur, sic quod nec unus ejusdem loci poterat alteri revivere. Sed admoniti à quodam sancto solitario juxta illum locum habitatore, qui à Deo per revelationem habuerat, quod servus Dei, nomine Frater Girardus XL. diebus jam elapsis sepultus fuerat in terra juxta portam Ecclesiæ suæ in Modoëtia, cujus bonæ opera, quæ in sua sancta vita occultè, fugiendo vanitatem Mundi, fecerat, post ejus obitum manifestarentur; & ejus corpus in reverentia haberetur: voverunt unanimiter inter se atque dixerunt: *Si Sanctus iste pro nobis intercedit ad Dominum nostrum Jesum Christum, & de hac infirmitate liberati fuerimus, nos omnes ad visitandum corpus ejus cum reverentia & dono ibimus. Insuper & perpetualiter omni anno in ipso die à nobis, dum vixerimus, & à nostris descenditibus, scilicet ab uno pro qualibet familia, ex nostri voti promissione, & sic visitabitur.* Qui cum hoc votum fecissent, subito omnes liberati fuerunt, & votum adimpleverunt. Sed illi sanctum corpus de terra, ubi erat sepultum, omni odore ple-

C c c c

um